
Q. D. B. V. 45

SPECIMEN ACADEMICUM
De
CONSCIENTIA ET EJUS JURE IN HOMINES:

Quod
SUPREMO CONSCIENTIARUM DOMINO
annuente
AMPLISSIMO SENATU PHILOSOPHICO
In
FLORENTISSIMA LUDOVICIANA
consentiente

PRO LICENTIA
APERIENDI COLLEGIA PHILOSOPHICA
PUBLICO
Excellentißimorum Dominorum Professorum
examini sistit

PRÆSES
M. JOH. CHRISTOPHORUS
Engelbrächt/ Bielfeldiâ Westphalus.
RESPONDENTE
ALBERTO Kramer/
Swertâ Marcano.



In Auditorio Philosophorum
ad
Diem 9. Iulij.

GIESSÆ-HASSORUM,
Ex Calcographéo Hampeliano, Acad. Ordinar. 1670.


באלהים

PROOEMIUM.

EXhibiturus ſpecimen aliquod Academicum, eam comprimis eligendam duxi materiam, quæ & in Theologia mihi ſuppetias ferre, & in ſocietate humana ſe non parum legentibus commendare poſſet. Hoc ipſumdũ in animo mecum repono, neſcio quo fato allexit me præſens de conſcientia materia, in cujus nunc naturam, (quantum quidem per ingenii vires conceſſum fuerit) inquirere conſtitui, ita tamen ut ex innumeris quæ à ſubtiliſſimis alias ingeniis hic vel diſputantur, vel diſputari poſſunt, utiliſſima juxtim ac jucundiſſima mihi ſeligam; quod ut dextrè procedat, Deum O. M. calidiſſimis deveneror precibus, ut lumine Spir. S. ingeniolo meo ſuccurrere, meosq; conatus divinâ ſuâ cooperatione clementer ſecundare velit. Tu autem L. B. ſi expectationi tuæ non omni ex parte ſatisfecero (hoc enim mihi promittere nec auſim, nec poſſum, vellem licet, cum non ſint mihi illi anni, unde tanta expectari poſſit eruditio) id tamen ut juvenilibus hiſce meis conatibus ignoſcere, iiſque æquo tuo judicio ſubvenire velis peramanter rogo. Eſto ſic

B. C. D.

§. I.



ANtè vero, quam me ad rem ipſam accingam in antecceſſum ob pagellarum anguſtias quædam ſuppono. (1. Dari revera in naturâ rationali id quod conſcientiam dicimus, ſi non aliam ſaltim hâc de causâ, quod quilibet hominum ſuum geſtet in pectore teſtem & factorum judicem, qui benè agentem laudat & ſolatur, ſceleratè vero & impiè agentem accuſat, damnat, & mirum in modum torquet, malefacta licet ſint Magiſtratui & civibus incognita, quod ſane fieri vix poſſet niſi

mens ex facto judicaret se neglexisse conscientiæ præscriptum. (2. Unde vero vox conscientiæ dicatur Autorum sententia variat: Alii conscientiam quasi concludentem scientiam, seu syllogismum practicum; Alii conscientiam quasi cordis sciam; Alii vero quasi scientiam cum aliis dictam volunt, quia qui aliquid patrarunt scientes facti habent (1.) *Deum* de quo Job. c. 16. 20. (2.) *Angelos* si facta sint externa, eosque tam bonos quam malos. (3.) *Homines* alios, nihil enim tam est occultum, quod non dies revelet (4.) *creaturas* omnes, qui suo modo de iis testificantur, & ob abusum sui ingemiscunt, uti Paulus loquitur Rom. 8. v. 22. Nobis nō incongrua illa videtur, quâ conscientia dicitur quasi *cum scientia*, quæ etiam est *Thomæ part. 1. q. 79. art. 13 concl. p. m.* 151. conscientia enim in latissimo suo significatu quando consideratur formaliter dicit actuum moralium cognitionem, non absolutam, sed respectivam h. e. talem quam ratio seu intellectus non tam actum moralem in se, qnam in respectu ad aliud quid, nempe ad jus seu legem considerat. v. g. intellectus meus cognoscit actionem furti, in hoc intellectus judicio furtum respiciente duo attendo 1. *furtum* 2. *legem* de furto latam. Lex enim quæcunque illa fuerit vel divina, vel humana, vera actionum humanarum regula nec est, nec esse potest, nisi cognoscatur, & actionibus moralibus applicetur; Quatenus E. intellectus humanus comparat ipsum furtum cum lege, & ob difformitatem à lege in furto deprehensam, talem actum fugiendum esse judicat, ejusque exercitium prohibet & detestatur, eatenus hic actus seu hoc judicium actus conscientiæ appellatur.

§. 2. Cum autem intellectus humanus circa actus morales duplici modo versari soleat, uno circa eosdē ut præteritos, altero ut circa futuros, hinc conscientia Moralistis alia *Theoretica* seu cōsequens, quæ actiones jam tū factas sequitur, easq; nudè contemplatur bonæ, an malæ fuerint, objecti loco habens factū, quod infectū fieri non potest, alia *Practica* seu antecedens, quæ ante susceptam actionē adest, suscipiendā dirigit, & judicat, An, & quæ actio à voluntate praxi dari aut non debeat, audit. De priori scilicet Theoretica agere ratio instituti non permittit, nobis E. præcipuè ea quæ actiones præcedit, seu quæ agit & versatur circa actus factibiles & omissibiles, h. e. practica conscientia (Aliis proximè practica, item

practicè practica dicitur) ut quæ κατ' ἐξοχὴν & sine apposito conscientia dici solet, quomodo etiam peccata contra conscientiam dicuntur sola ea, quæ fiunt contra conscientiam antecedentem, consideranda venit. Et de hâc conscientiâ inter Moralistas disquiritur: *Sitne actionum humanarum principium nec ne?* Ubi sunt qui affirmant, sunt, qui negant; Nos hanc controversiam ex voce principii decidi posse putamus. Si principium dicatur illud, quod proximè influit, & à quo actio humana proximè & immediatè dependet, rectius negatur quam affirmatur esse principium, proximè enim non influit, sed saltim potentiæ, quæ per actus suos proximè influit faculam præfert, & quasi prælucet; neque à conscientiâ, sed ab actu voluntatis elicito actio proximè & immediatè dependet. Quia autem prius quam actio humana fiat, præcedit dictamen rectæ rationis, quid faciendum, quidve omittendum judicantis & vero hoc ipsum dictamen sit conscientia, ideo rectè etiam inter principia illa refertur.

§. 3. His jam præsuppositis rem ipsam accedimus, quod commodius fieri vix poterit, quàm expendendo ejus definitionem, vel si mavis descriptionem quæ apud Moralistas varia tradi solet. Aristoteles in principio l. 3. ad Nicomachum vix attingit conscientiam. Scholastici verò operosè & prolixè declarant. Thomas part. 1. q. 79. art. 13. describit eam, quod sit scientia ad ea quæ agimus applicata. Quæ descriptio generalis licet, & omnia, quæ nomine conscientiæ in Practicis venire solent, comprehendat, clariorem tamen nobis tradit *Excell. Rudrauffius Præceptor & Hospes noster ætatem deveneranduus in instit. Moral.* p. m. 116. *ex Vasquezio l. 2. Tom. 1. disp. 59. a. 1.* hanc scil. Conscientia est judicium intellectus, quod dictitat, quid in vita sit bonum vel malum, quid faciendum, quid omittendum. Si cui vero neque hæc descriptio satisfaciat, meditabimur aliam non quidem perfectiorem, attamen magis captui nostro accommodatam, hanc scil. *Conscientia Practica est judicium intellectus practici applicans universalia principia Practica ad circumstantias actus humani singularis, quatenus his vel illis circumstantiis talis actus determinatur, adeoq; dictitans, quid ab hoc homine circa objectum hoc, hoc loco & tempore, his ex causis, hoc modo &c. fieri, aut non fieri debeat.* Hujus nunc enodationem subjungimus.

§. 4. Generis loco ponitur *judicium intellectus practici.* De Genere conscientiæ prolixa apud Moralistas legitur disputatio, dum alii scientiam, alii habitum innatum genus esse volunt. Nos brevitatē sectantes dicimus esse judicium, seu ut aliis placet actum, ubi per actum intelligitur exercitium potentiæ intellectualis. Causa ejus efficiens proxima est intellectus practicus. Ubi obiter nota quod intellectus dividatur non quidem per se & per aliquid intrinsecum, sed per objecta adeoque ab aliquo extrinseco in Theoreticum & Practicum. Theoreticus appellari solet, qui fertur in rem necessariam eam contemplando; Practicus vero qui fertur in objectum contingens ad operationem illud dirigendo. Cum vero intellectus judicium duplex sit, Aliud *Anoëticum* quod absque discursu & argumentatione, aliud *Dianoëticum* quod beneficio ratiocinationis unum ex altero colligendo intellectus exercet, hinc patet, quale hic judicium intelligatur, scil. non Anoëticum, sed Dianoëticum, quia absolvitur syllogismo practico, secundum cujus conclusionem conscientia formaliter & maxime propria judicium dicitur. Hujus Syllogismi practici Majorem ipsa primorum principiorum practicorum cognitio suppeditat, qualia sunt: Bonum est faciendum, Malum vero fugiendum. Moralistis *συντήρησις* aliàs legis naturalis conservatio dicitur, ex eo, quia Dei beneficio multæ rerum agendarum & fugiendarum notitiæ in mente hominis etiam post lapsum conservantur, quæ principia licet non ipso actu cognoscantur simulac homo in lucem editur, ita tamen nota dicuntur, quia in quolibet homine tantum perfectionis post lapsum reliquum est, ut ratione suâ utens facili negotio eorum notitiam acquirere possit. Neq; solum prima illa principia P. sed & quæ ex his fluunt hoc nomine indigitamus v. g. neminem lædere, suum cuique tribuere, Deum colere, Parentes honorare, egeno subvenire, hæc enim à nemine mortalium qui suâ ratione utitur ignorari possunt, nisi quatenus cum singulari circumstantiâ considerantur, licet non semper secundum illud dictamen vivatur.

§. 5. Ipsa autem *συντήρησις* exinde conscientia non est, ut aliqui volunt, licet enim lex naturæ quæ fons & origo est omnium virtutum quæque omnium hominum cordibus naturaliter est inscripta, ita ut Gentes legem non habentes naturâ quæ legis sunt,

fece-

fecerint, ejusmodi legem non habentes sibi ipsis sint lex, teste Scriptura tamen nullam actionem actu in particulari præscibit, hinc quando Scholasticis conscientia συντήρησις dicitur, id impropriè fit, & honor ille huic intellectus judicio defertur ob maximam sui ex parte conscientiæ necessitatem, ad quam non minus requiritur, quam Major propositio ad syllogismi constitutionem. Exhibent autem etiam propositionem Majorem leges humanæ positivæ. Quia enim omnis lex universalis est ideo ex qualibet lege ejusmodi conclusio practica quæ formaliter conscientia dicitur, inferri potest, ad cujus executionem cujuslibet moraliter agentis voluntas obligatur, licet non directè & immediatè, cum Magistratus in animas & conscientias nullam habeat potestatem, nullam jurisdictionem inferiorem, sed solius hoc Dei est, qui animam & corpus perdere potest, attamen indirectè & hypotheticè, quatenus Magistratus est Dei ordinatio Rom. 13. v. 1. ejusque minister vers. 4. adeò ut Deo resistat, qui Magistratus leges negligit, hinc vers. 5. Necessariam esse subjectionem propter διὰ τὴν συνείδησιν conscientiam Paulus asserit; sin vero leges fuerint intrinsecè injustæ nullam in foro conscientiæ habent obligationem, sed prævalet illud Apostoli Actor. 5. v. 29. Deo magis obediendum, quam hominibus. Plura de his qui desiderat adeat *Nobilissimum atq; Excell. Dn. Weisium Academiæ hujus Pro-Rectorem Magnificum Patronum nostrum submissè colendum in disp. de conscientia ante aliquot annos habita Excell. Dn. P. Musæum in disp. de oblig. LL. civil. B. D. Meisnerum disp. de leg. & alios.*

§. 6. Minorem propositionem postmodum dictitat intellectus humanus subsumendo sub principiis illis communibus, ea applicando ad hanc vel illam materiam v. g. Esto propositio Major: Bonis legitimè partis pauperi proximo ubi necessitas efflagitat est subveniendum, posito hoc principio intellectus meus subsumit: Hæc sunt mea bona legitimè parta, è quibus Eleëmosynam elargiri ritè possum, hic homo opem meam implorans pauper est, & meretur beneficium, hic locus oportunus est, hoc tempus conveniens, hic finis honestus, quia in Dei honorem & proximi fit salutem &c. hic habeo propositionem Minorem, quæ etsi propriè, quid agendum sit non determinet, apta tamen est, ut conjuncta cum Ma-

jore quæ formaliter erat practica, eliciat conclusionem formaliter practicam scil. conscientiam, unde hoc judicium intellectus virtualiter practicum censetur.

§. 7. Postmodum illa conclusio quæ ex his præmissis fluit, maximè propria conscientia dicitur, sicuti enim conclusio formaliter talis non datur, nisi legitimè dispositis præmissis, ex quibus necessitate consequentiæ semper conclusio sequitur, ita etiam non nascitur conscientia, si Major vel minor absit. Sic ex modo datis præmissis hæc fluit conclusio. E. hoc meo bono huic vel illi pauperi proximo in tantum hic & nunc à me est subveniendum. Ubi tamen nota: conclusio illa licet necessariò sequatur ex præmissis, hominis tamen vitio sæpè fit, ut intercisionem ad tempus conscientia patiatur in hoc actu, ita ut propositione & assumptione positis nequaquā tamen concludatur. v.g. potest quis in genere intelligere & concedere, omnem hominē qui Deum nō colit, esse maledictū, sibi ipsi potest esse conscius se Deum non colere, abstinet tamen à sententiâ maledictionis de seipso pronuncianda; Exemplo est David 2. Sam. XI I. 5.6. probe ille novit, quid juris esset de pessimo suo facto, quid fecerat, etiam ignorare non poterat, in conclusionis tamen applicatione claudicabat. Non autem nomine conscientiæ nobis totus ille syllogizationis actus venit, quatenus is ex tribus illis constat propositionibus, sed tantum tertia syllogismi illius propositio quæ vocatur conclusio, hæc enim demum est illatum, quod ex principiis tanquam præmissis intellectus infert, & quo intellectus præscribit vel interdicit voluntati actum.

§. 8. Ex his quæ dicta sunt, elicitur nunc minus recte dici Deum habere conscientiam, licet enim Deus habeat intellectionem vel intellectum, ut docet Arist. XI I Met. c. 9. ipsaque declarat Scriptura, attamen cum judicium ei non competat, utpote modum intelligendi compositum significans, cum nempe qui est per compositionem divisionem & discursum, patet Deum conscientiam non habere, componere enim & dividere respectu intelligentis imperfectionem important, dum actuum successionem & multiplicationem dicunt, Deus autem qui uno simplicissimo actu omnia quæ quacunque ratione sunt intelligibilia cognoscit, nullam successionem aut multiplicationem admittere, nedum componendo vel dividen-

videndo intelligere potest. vid. *Magnificus Dn. Pro-Rector Weisius disp. cit. §. 9. B. Dilh. disp. de consc.* Nec obstat locus qui habetur 1. Pet. II. 19. ubi jubemur sufferre tristitias διὰ συνείδησιν Θεοῦ per conscientiam Dei. Notum enim nomen rectum seu genitivi casus ratione usus & significationis non raro causam finalem solere notare, monente B. Glassio Phil: Sacr: l. 3. t. 1. p. m. 452. ut sensus verborum sit hic: Nos propter allatas injurias voluntati divinæ, quam conscientia respicit, non debere resistere, sed potius ad præstandam obedientiam nos quam maximè obligari, hinc etiam B. noster Lutherus ut innueret eam intelligi conscientiam, quam homo corum Deo habet, quâ cavet ne Deum offendat, reddidit: Umb des Gewissens Willen zu Gott. (2. Neque bruta. (3. Quando diximus conscientiam esse judicium intellectus, eo ipso dicam scribimus illis qui conscientiæ subjectum, aut solam voluntatem, aut intellectum & voluntatem simul esse asserunt, Actus enim conscientiæ sunt cognoscere, præscribere, obligare, qui certè non ad voluntatem sed intellectum eumque practicum pertinent.

§. 9. Ansam hic nobis sumimus agere de officiis illis quibus conscientia in ordine ad agens morale gaudet, qualia sunt tria, uti communis habet sententia, Præscribere, Instigare, & Obligare. De præscriptione infra ubi de propositione Majori Syllogismi Practici agitur, actum vide. *Instigare* conscientia dicitur agens morale cujus est conscientia, quando intuitu bonitatis vel malitiæ moralis per syllogismum P. agendum vel non agendum esse dictitat, sine tamen interminatione pœnæ. Obligare vero agens morale conscientia dicitur, quando intuitu bonitatis vel malitiæ moralis agendum vel non agendum esse sub formidine & interminatione pœnæ. Reliqua quæ ab autoribus afferri solent officia, uti sunt ligare &c. Non tam φρονήσεως quàm συντηρήσεως & συνειδήσεως sunt.

§. 10. Quibus nunc expositis, rectâ pergimus ad ejus divisionem. Scholastici vulgo quinque recensere solent conscientiæ species: Rectam, Erroneam, Probabilem, Dubiam & Scrupulosam. Quæ tamen divisio cum sit æquivoci in sua æquivocata, accuratior nobis videtur illa methodus si procedamus cum conscientiâ, quemadmodum Logici cum quâcunque conclusione procedere consueverunt; his enim conclusio spectata in esse nudæ propositi-

positionis, imo etiam præcisè in esse conclusionis dicitur vera vel falsa, ita, ut vera conclusio dicatur illa, quam propter præmissas veras veram esse necessum est, falsa autem quæ ex falsis infertur, se ex erroneis præmissis, vel saltim ex alterutra earum erronea. Pari modo ratione veritatis vel falsitatis conscientia est vel vera, vel falsa; Quia autem conscientia non est conclusio quæcunq; sed practica, seu syllogismi practici, & in practicis seu agendis verum soleat dici rectum, falsum autem erroneum, ideo conscientia vera in Ehticis appellari solet non vera, sed recta, & quæ falsa est, non falsa, sed erronea.

§. 11. Porro Logicis conclusio alia dicitur certa, quæ est syllogismi Apodictici, seu demonstrativi quæque ex præmissis ininferturevidentibus, certis & indubitatis, alia probabilis, quæ est syllogismi Topici, quæque ex principiis non absque formidine oppositi certis inferri solet. Eodem modo conscientia tanquam conclusio syllogismi P. est vel certa vel probabilis, ut adeo conscientia dividi possit (1. Ratione veritatis & falsitatis in Rectam & Erroneam, (2. Ratione certitudinis & incertitudinis in certam & probabilem. Nota. Accuratè loquendo certam conscientiam à Rectâ distingui, cum possit esse conscientia recta, quæ non statim est certa. Posteriores quod attinet conscientiæ species, eæ impropriè ita dicta videntur, & quidem Dubiam quod spectat, si per dubiam intelligatur, quando intellectus nihil præscribit, nihil determinat, quando nec assentitur, nec dissentitur, sed rem in suspenso hoc est sub judice & dubio relinquit, ea impropria est, siquidem definitio conscientiæ ipsi applicari non potest. De Scrupulosâ idem judicamus, si ea referatur ad dubiam, quod nihil aliud præscribat, sed dubitet ob hunc vel illum in re scrupulum. Sin vero per eam intelligatur actus dictitans quidem, sed cum aliquali adhuc formidine oppositi, tum revera est, & propriè dicitur conscientia, quæ referri debet ad conscientiam probabilem. Quicquid vero hujus sit, sint licet impropriæ, ut tamen constet, quomodo sese gerere debeant, qui vel dubii, vel scrupulosi sunt, singulas brevissimè explicabimus.

§. 12. Conscientia Recta appellatur vel à rectâ ratione, à recto intellectus P. judicio & describitur quod sit *judicium* *intel-*

intellectus P. firmiter dictitans, illud esse faciendum, quod faciendum omnino est, illud vero omittendum, quod juxta legem omittendum est. vel est, quæ principia P. per certam & evidentem consequentiam applicat ad actus singularis circumstantias. Hanc conscientiam obligare firmissimè omnes homines in confesso est, & ita quidem ut si juxta ejus præscriptum egeris, non pecces, sed tranquillitate fruaris, sin vero contra præscriptũ ejus opereris, pecces gravissimè h.e. culpam & reatum contrahas. Causa hujus asserti facile datur, quia dictamen illius cum ipso jure tam divino quam humano exactè congruit. Pilatus E. lavans manum, non lavit mundum, verba sunt *Excell. Dni. Rudrauffii in inst. Morall. p. m. 125. q. 4.* Quibus *adde quæ habet Magnificus Dominus VVeissius disput. cit.* §. 15. & *B. D. Hornejus in Phil. Moral. l. 3. c. 3. p. m. 320., Dn.* Scheurl. *disp. XI. §. 26.*

§. 13. Objiciunt nobis; Conscientiam Rectam dictare furtum non esse comittendum, & tamen hæc non obligabat Israëlitas, cum vasa aurea & argentea Ægyptiorum auferrent. Respondent Autores distinguendo inter præcepta juris naturæ affirmativa & negativa, hæc obligare semper & ad semper, illa vero semper, sed non ad semper, h.e. non ad omnia tempora, omnes casus, cum fieri possit ut in casu necessitatis quis sit solutus à præceptorum affirmativorum ligamine, v. g. suum cuique tribuere non semper obligat, scil. si Dominus sit furiosus, vel heluo &c. Quæ Responsio quamvis sufficiat ad nodi hujus solutionem, nos tamen breviter dicimus: Israëlitas contra conscientiam hoc ipso non egisse. Licet enim Furtum non esse committendum sit præceptum juris naturæ negativum, quod æquè Israëlitas ac omnes homines obilgat, & in quo Deus dispensare non potest, si omnes ejus circumstantiæ maneant, sub quibus lex naturæ est instituta; si tamen una vel altera circumstantia, sub qua lex naturæ obligat, tollatur, Deus in eâ dispensare potest v. g. ut quis propriè dictum furtum committat, præcipua circumstantia est: ablatio rei alienæ invito Domino, hæc circumstantia si tollatur, & res aliena mutetur in propriam Deus in hac lege naturæ dispensare potest. Quia igitur Deus sustulit hanc circumstantiam, quando Israëlitas jussit, ut Ægyptiis vasa aurea & argentea surriperent, mutando furti objectum, rem

ſcil.alienam in propriam, hinc Iſraëlitæ non poſſunt dici abſtuliſſe rem alienam, ſed propriam, ipſis à Deo in mercedem laboris exantlati conceſſam. Vid. Lyra com.h.l.

§. 14. Non negligendus nobis hic eſt acerrimus ille cum Politicorum tum Theologorum, tum & JCtorum conflictus quando diſputant: *An judex ſecundum acta & probata, an vero ſecundum conſcientiam pronunciare debeat?* Statum Q. formabimus hunc: Si Actor quiſpiam in cauſa civili vel criminali coram judice accuſationem Reo intenderet, probationibuſque non contemnendis eam deduceret; Judici autem revera & firmiter conſtaret, probationes eſſe falſas, Actoremque fucatam fovere cauſam, utrum judex ſecundum acta & probata contra conſcientiam Reum quem verè innocentem novit condemnare poſſit? *Thomas* I I.*2.q.67.art.2.p.m.*129. *Dominius à Soto.l.5.de juſt q.4.art.7.p.*155.*Gregorius de Valentia Tom.3.diſp.5.q.*11.*puncto.2.col.*1326.*Toletus l.5.inſtr.c.6.n.*11.*p.*560. & plurimi Doctores Pontificiorum in hac concedunt ſententiam: Judicem præcisè ſecundum allegata & probata pronunciare, innocentemque condemnare poſſe. Ab hac tamen communi illorum ſententia recedit Leſſius, quem hac in parte magno numero Orthodoxi noſtri ſequuntur Theologi uti apparet *in Exegeſi LL. Theol. B. Joh. Erneſti Gerhardi Theologi celebratiſſimi, Præceptoris mei in Academiâ Jenenſi dum viveret, obſervantiſſimi, nunc eheu deſideratiſſimi! loco de Magiſtratu Politico p.m.* 1496. *B.D. Meiſnerus Phil. Sobr. part.3.ſect.2.c.5.q.4 p.m.*788. *Hunnius & alii.* Nobis ne veritas, cujus indagationem unicè propoſuimus mutuis altercationibus & accuſationibus elabatur, ſequentes ponimus cautiones (1. Non eſſe nobis ſermonem de illa conſcientiâ, quâ judex ex opinione præconceptâ, ſeu ſcientiâ, eminus certâ, quæ facillimè falli poteſt, aliquid decernit, ſed de certâ infallibili & indubitatâ ſcientiâ ſecundum quam pronunciandam eſſe dicimus. (2. Quando certa illa ſcientia judicis & acta invicem contrariantur, tunc acta & probata æquivocè ita appellantur, quia tantùm apparenter probata videntur. (3. Vanam & falſiſſimam dicimus eſſe diſtinctionem quam in hac controverſia Pontificii ad ravim uſque proclamant, duplicem eſſe

com-

conſcientiam quâ quis ſit inſtructus, vel ut publica vel ut privata perſona. Sicut enim veritas eſt una, & ſimplex, ita etiam unica tantum eſt veritatis ſcientia, ſive illa ſumatur ex publicis ſeu ex privatis documentis. Quibus poſitis dicimus 1. Contra conſcientiam ut pronunciet, ipſi ſuadendum non eſt, damnaret enim hominem innocentem quod peccatum eſſe nullus negabit. 2. Judex vel erit ſupremus, vel inferior, ſi inferior remittat cauſam ad judicem ſuperiorem, & ſic ſe munere judicandi tantiſper abdicet, ſin vero & ſupremus ipſe ſit judex, actum ſuſpendat, lucraturus fortè cum tempore rei veritatem. Vid. *Excell. Dominum Götzium in Academ. Jen. Moral. PP. celeberrimum Præceptorem noſtrum honoratiſſimum in coll. Ethic.* In contrarium quæ objici poſſunt, conflictui reſervabimus, hoc ſolum remaneat. Judex ſi non ſemper ſecundum acta & probata, neque ſecundum conſcientiam, ſemper tamen non contra conſcientiam judicare tenetur. *Vid. Dilh. diſp. XVIII. §. 25.* Et hæc quidem de conſcientia Rectâ, nunc ad Erroneam.

§. 15. *Erronea conſcientia* dicitur ab errore intellectus in applicatione principiorum commiſſo & deſcribitur, quod ſit, *judicium intellectus P. applicans principia univerſalia ad actus ſingularis circumſtantias per apparentem ſaltim conſequentiam.* Dico *apparentem* quæ videtur quidem ex principiis practicis appellationem ritè elicere, reverâ tamen non elicit, ſed præſcribit id faciendum, quod faciendum non eſt, & id omittendum, quod omittendum non eſt. Contingit vero conſequentiam eſſe apparentem quatuor potiſſimum modis (1. cum principium: *bonum* (intrinſecè tale) *eſt faciendum* applicatur ad rem intrinſecè malam, atque ſub hoc univerſali principio ſubſumitur: Ablatio pallii Babylonici eſt bona. (2. Cum principium hoc: *malum* (intrinſecè tale) *eſt fugiendum* applicatur ad rem intrinſecè bonam & ſubſumitur, mors pro patria eſt mala. (3. Ita ut principium quod præſcribit rem indifferentem eſſe liberè proſequendam vel fugiendam applicatur ad rem intrinſecè bonam vel malam. V. g. ſi principium hoc: *Licet bibere vinum* habeatur pro tali, & ſubſumatur: Inebriari eſt bibere vinum, E. (4. Denique ſic, ut principium

quod præscribit res intrinsecè bonas vel malas esse necessario prosequendas vel fugiendas, applicet ad res indifferentes. Sit v.g. principium: Matrimonium cum sorore est fugiendum. Atq; Simon vel alius Græcus inde inferat, esse fugiendum liberè, i.e. si placeat. Ex his ad oculum patere arbitror esse hanc periculosissimam conscientiæ speciem, ut quæ rem ex se & suâ naturâ optimam judicet nefandam, pessimam, summopere fugiendam, & rem per se indifferentem pessimam efficere novit. Causa autē hujus Erroris minus rectè *ab Amesio* assignatur occultum Dei judicium *l.1.de consc.c.4.§.3.p.m.9.* sed potius inconsideratio eorum, quæ debent considerari, vel prava aliqua dispositio, quæ mentem ab inquisitione debitâ abducit, occasiones discendi aversatur, quin & à rectè judicando eam avertit.

§. 16, In hæc hactenus producta Eruditi amicè conspirant, ast vero lites gravissimæ effervescunt de obligatione: An habeat vim nos sibi obligandi, h.e. ut eam sequi, & juxta ejus præscriptum agere debeamus, ita ut si hoc non fiat peccetur? *B.Misnerus in tract.de S.B.* negat conscientiam Erroneam obligare, negant post ipsum multi; *Dn.D.Calixtus in Th.Mor.* affirmat, & affirmat cū ipso ippotior Scholasticorum pars. Sunt qui mediâ incedunt viâ distinguentes inter conscientiā errantē errore vincibili, & errantē errore invincibli. Conscientia Errans errore invicibili circa rem per se indifferentē dicitur ita obligare, ut qui contra ejus præscriptum facit, peccet, non autem qui secundū eam; Rationem dant hanc quia conscientia etiam Erronea, modo error sit vincibilis, æquè est principium regula & norma actionum ac conscientia recta. (Quamvis diversus sit modus in eo, dum quod conscientia recta habet absolute, erronea tantùm habet ex suppositione & conditionaliter) De conscientia errante errore vincibili *Gregorius de* Valentia statuit eam non obligare, sed ligare. Alii asserunt eam obligare, & ita quidem, ut si juxta conscientiam hanc agas, pecces in foro poli, (i. e. coram Deo) non autem in foro soli i. e. coram & penes se ipsum. Si vero contra eam agas dicunt te iterum peccare in foro soli, seu conscientiæ, non autem in foro poli. Quidam rem ita eloquuntur: Qui agit contra conscientiam erroneam

errore

errore vincibili, ille peccat formaliter, quia quantum in se est, repugnat regulæ actionum, quam supremus factorum arbiter præscripsit; Qui autem secundum conscientiam erroneam errore invincibili agit, is peccat solùm materialiter, ut quia intentionem tanquam formale peccati principium non habuit. Nos in conflictu mentem uberius datâ occasione explicabimus, atque suffragabimur iis, qui conscientiam erroneam suâ obligatione non destituunt.

§. 17. Peccant E. ex hac conscientiâ Pontificii, dum sibi persuasum habent, hostiam in Eucharistia adorandam, sive jam adorent, seu non adorent; peccant adorantes, dum divinum honorem & cultum religiosum soli Deo debitum creaturæ deferunt; Non adorantes peccant agendo contra conscientiam quam ipsi rectam esse arbitrantur Peccant & ex illis, qui die Veneris carne vescuntur, Quamvis enim res hæc sit indifferens, & aliàs bene licita, quia tamen eo ipso quo carne vescuntur, propositum ipsis contra legem agere, ideo ex proposito peccati, à peccato non absolvuntur. Id quod ipse Paulus docere videtur Rom. XIV. 23. *Quicquid non est ex fide, peccatum est*, h. e. (explicante *Bald. in cas. consc. p. m. 13.*) Quicquid non fit ex fide conscientiæ, seu ex certa conscientiæ persuasione, vel quod fit titubante conscientiâ, id Deo gratum esse non potest & v. 14. inquit: *Nihil est commune per se, nisi ei qui existimat aliquid esse commune*, illi est commune. Peccant Judæi, quoties carne vescuntur suillâ; Peccant Anabaptistæ, quoties jurant, licet enim juramentum res aliàs in se indifferens media, & pro re natâ vel præstari vel omitti possit. Si tamen Anabaptista, qui juramentum pro re illicitâ & divinitus prohibita habet à Magistratu compulsus juraret, malè faceret, non quod juramentum in se sit malum, sed quia malo idipsum præstitit modo scilicet contra conscientiam, quæ licet erret, quia tamen repugnat in re per se licitâ, non erat negligenda. Patet hinc etiam quid responderi debeat ad id, quando Quæst. est: *Sit quis persuasus se esse baptizatum cum tamen baptizatus non sit, an debeat adhuc B. conferri?* Resp. Error ille vel est vincibilis, vel invincibilis, sin posterius pro baptizato est habendus, sin prius conferendus, ipsi est B. ne errore deposito conscientia

ipsi molestiam creet. vid. *Bald. in casib. consc. l. 1. c. 7. p. m. 15.* Nunc ad tertiam properamus.

§. 18. Probabilem quod concernit conscientiam, quæ etiam opinativa seu opinabilis dicitur à modo inferendi conclusionem nomen sortita videtur; *Est* enim *conscientia probabilis actus intellectus P. quo principia universalia P. applicantur ad singularis actus circumstantias per consequentiam probabilem.* Consequentia autem probabilis appellatur, cui fidem & assensum præbemus cum formidine oppositi. Unde aliàs describi solet, quod sit ea quæ judicat aliquid esse faciendum vel omittendum ob rationem non quidem manifestam, attamen non contemnendam. Nota (1.) Quod intellectus semper in hac conscientiâ se ad alteram contradictionis partem determinet, per quod ipsum à dubiâ differt, quippe in quâ intellectus se ad neutram contradictionis partem determinat, sed inter utramque ambiguus hæret. (2.) Quod ratio illa ob quam intellectus se ad alteram contradictionis partem determinat non sit evidens & necessaria, sed solùm probabilis, quo ipso probabilis hæc conscientia à rectâ differt, quippe quæ pro fundamento habet evidentem & necessariam rationem, probabilem vero conscientiam semper formido oppositi premit. Quod ad obligationem hujus conscientiæ attinet, dicitur plerumque obligare hanc conscientiam eodem prorsus modo, quo recta, ut qui cõtra eam agit, peccet, quia spernit rationem & peccandi periculo se exponit, qui verò secundum eam agit, non peccet, cum sequatur rationem saltem probabilem.

§. 19. Prius vero quam ab hac conscientiæ specie abeamus, quasdam quæ ad hujus conscientiæ obligationem illustrandam non parum facere videntur ponimus cõclusiones. (1.) Quod quandoq; liceat sequi viam tutiorem, licet ea probabilior non sit. Est autem via tutior, quæ cum vel planè nullo, vel cum tam gravi periculo peccandi conjuncta non est v. g. Si quis latronibus etiam mediante juramento promisisset certam pecuniæ summam, atque probabilius concludat, ipsis nihil esse dandum, ne scil. vitia foveantur, æquè vero probabiliter concludat ipsis esse dandum, ne invocatio nominis divini in vanum assumatur, tunc sane tutius est dare quam non dare,

dare, quia dare cum tanto periculo peccandi conjunctum non est. vid. *Excell. Rudrauffius in inst. cit. q. 6. p. m. 126. B. Steuberus in consc. opinab. q. 1. p 311.* (2.) Ille qui opinionem aliquam de re aliquâ habet, vel est sui juris, vel non est, vel est literatus vel illiteratus &c. de quibus prolixius actum vid. apud *B. Bald. l. c. c. 9. p. m. 16. 17. Bec. tom. 2. c. 4. q. 9. B. Horn. Phil. Mor. l. 3, c. 4. p. m 327. B. Dilh. Dn. Scheurl.* & plures alios.

§. 20. Supersunt duæ conscientiæ vulgò sic dictæ species: Scrupulosa & Dubia. *Scrupulosa est quando intellectus P. In quæstione quadam uni quidem contradictionis parti adhæret, scrupulo autem ab eodem terretur.* Dicitur vero scrupulus juxta *Amesium l. de consc. c. 6. p. 16.* formido animi circa suam praxin, quæ conscientiam impedit & vexat, instar lapilli exigui in calceo latitantis, qui pedem excruciat, & in incessu remoras efficit. *Nota.* Non omnis formido dicitur scrupulus, sed illa quæ ex levibus vel nullis argumentis oritur. Distinguere Autores plerunque hic solent inter scrupulum rationabilem & irrationabilem & dicere: Ut ut conscientia scrupulosa non obliget, tamen scrupulum rationabilem temerè negligendum non esse, sed remediis certis exuendum, h. m. (1.) Gratia Dei instanter imploranda, ut scrupulus justo examine eximatur. (2.) Cogitationes de illis rebus, unde scrupulus est exortus sedulò vitandæ, phantasiam enim semel motam multi insequuntur motus, qui sine difficultate compesci non possunt. Sin autem scrupulus ille se non patiatur amoveri, salvo aliorum judicio, consultius esse dicerem, agere contra istiusmodi scrupulum, v. g. sit quispiam cui suæ indignitatis consideratio adeò sit molesta, ut vix audeat ad mensam Domini accedere, quamvis sentiat in se veram fidem, & resipiscentiam, potest ille ac debet non obstante hoc scrupulo accedere ad cœnam Domini, habet enim firmiores rationes ab altera contradictionis parte, quam quæ levi hoc scrupulo possint repelli. Neque is potest dici agere contra conscientiam, sed secundum conscientiam, scrupulus enim est formido temeraria & sine fundamento, adeoque obligare non potest. Scrupulus autem si fuerit irrationabilis, omnino ejiciendus ex animo, & planè negligendus. Sic v. g. disputant Pontificii, quid faciendum cum mure, qui comederit speciem panis benedicti. Ubi sunt, qui murem comburendum, & cinerem ad alta-

re reponendum esse, dicunt. Alii quod mus sit exenterandus, sique corpus Dominicum in ventre ejus reperiatur à sacrificulo illud sit comedendum, si vero non inveniatur, Lajcris sit dicendum, per sudorem fuisse emissum. Sunt alii qui negant, & suadent ut sacerdos, nisi abhorreat, ob reverentiam corporis Dominici murem totum devoret. En scrupulos Pontificiis dignos. *Peccatur hic agendo contra conscientiam, secundum scrupulum, non autem contra scrupulum, secundum conscientiam, verba sunt Excell. Dn. Hospitii Rudrauffi l.c.*

§. 21. Ansam hic haberemus agere de *Suspicione* & *Conjectura*, quid illæ & quales sint, cum de his Moralistæ nihil agere soleant, quod tamen ne nimium excrescat disputatio in aliud tempus nobis reservabimus. *Dubiam* quod attinet *conscientiam est illa quando intellectus neutri contradictionis parti assensū prabet, cū judicandum est, An res sit licita, vel illicita.* Ex hac conscientiâ qui agit, peccat, quia manifesto peccandi periculo se exponit, & peccatum velle videtur. Dividitur à Becano & Scholasticis in Theoreticè dubiam, & dubiam Practicè. Dubia Theoreticè est, cum quis ante actum in universali dubitat, num aliquid licitum sit nec ne, v.g. num usuras accipere liceat. Practicè dubia est cum quis in ipso actu de particulari uno vel altero dubitat v.g. Sitne licitum accipere à debitore usuras, qui calamitatem passus est. Licet autem è dubitatione speculativa de re universali, plerumque nascatur dubium practicum, id tamen non est perpetuum, potest enim v.g. subditus theoreticè dubitare de bello: An sit justum?, ut tamen practicè sit certus sibi licitum esse militare in hoc bello, potest enim sic ratiocinari: Certum est ad me non pertinere judicare de justitia belli; Certum est me debere obedire meo Principi, quamdiu non constat de injustitiâ belli E. certum est me posse servire in hoc bello.

§. 22. Quibus positis dicimus: Agere quem licitè posse contra conscientiam theoreticè dubiam v.g. possidet quis bonâ fide aliquem fundum & incipit dubitare an sit suus, nisi sciat esse alienum, jure ipsum retinere potest, quia cœteris paribus melior est conditio possidentis. Contra vero conscientiam P. absque peccato quicquam agere non licet, quia non potest facere ex fide, sciens &

volens

volens se peccandi periculo exponit, voluntati divinæ non satis obtemperat, & quæ sunt alia. Quomodo vero sese gerere debeat tali conscientiâ instructus paucis habe: Tutiorem partem, & quæ minori cum difficultate conjuncta est, eligat, si vero sibi ipsi hac in parte non sufficit, aliorum consilia audiat, Deum, ut ipse quod optimum est eligat, seriò oret. Ubi autem ex utraque parte bonum vel malum foret æquale, eligere & sequi debet illud, quod prævviis precibus Deus cœlesti suo digito quasi monstraverit, seu quo Deus voluntatem hominis inclinaverit, verba sunt B. Bald. l.c. p. m. 16. Et hoc qui neglexerit, verificabitur in eo illud Apostoli *εἰ δέ τις ἀγνοεῖ, ἀγνοείτω* qui ignorat, ignorabitur.

§. 23. Hactenus de conscientia antecedente, ageremus nunc paucis etiam de consequente, nisi pagellæ finem poscerent. Dividitur illa plerunque in Bonam vel Malam, quod tamen accuratè dictum non videtur, propriè enim loquendo, nulla neque bonitas neque malitia moralis conscientiæ inest, sed potius actionibus, quando enim intellectus suprà se reflexus actiones examinat, inde quatenus in illo examine eas vel bonas vel malas deprehendit, benè vel malè sibi conscire dicitur. Dividi etiam solet in Naturalem & Illuminatam. *Naturalis* ea dicitur, quæ ex principiis nobiscum natis procedit, de qua hactenus agimus. *Illuminata* ea dicitur, quæ fit Spiritus S. inspiratione v.g. conscientia hæc dictitat: Homini per infortunium aut paupertatem redacto esse subveniendum, quia ipse cum nobis est membrum corporis mystici nempe Christi; & vero convenit, ut unius corporis membra se invicem foveant, sibique succurrant. Norma quænam sit ad quam intellectus actus suos tanquam ad lapidem Lydium probare debeat, Autores controvertunt. Sunt qui voluntatem Dei qualitercunque patefactã. Sunt qui rectam rationem, sunt qui legem divinam pro conscientiæ regulâ venditant. Nos cuilibet liberum judicium relinquimus Et ob temporis & chartæ penuriam annectimus sequentes quæstiones.

§. 24. Q. I. *An reservationes Mentales obligent conscientiam?* Reservatio mentalis est nihil aliud quam ars mentiendi & decipiendi, à Jesuitis (pessimo illo hominum genere) si non inventa, & excogitata, saltim ex orco, quo ab Augustino erat relegata, re-

 ducta,

ducta, & specie vero admodum concolore circumfusa. Sunt autem ut ad rem deveniamus reservationes mentales cogitationes illæ quas qui jurare cogitur, in mente suâ format, & reservat, h.e. judici incompetenti non manifestat e.g. quando adultera occulta à marito cogeretur, ut sibi jure jurando affirmaret, se adulterium non commisisse, inter jurandum vero tacitè illa cogitaret: commisi quidem adulterium, at non commisi, ut tibi illud statim manifestarem, esset reservatio mentalis, de qua quæritur: Num conscientiæ obligationem tollere possit? Quantum vero periculi stante hoc dogmate Esavitico & pietati in Deum & charitati erga proximum immineat pluribus ostenderem nisi chartam & tempus impio & detestando hoc dogmate perderem. Dabitur fortè de his alibi dicendi occasio.


Q. II. *An juramenta per vim extorta obligent conscientiam?* Status quæstionis hic est: Utrum juramentum quo quis coactè ad rem aliquam præstandam alicui v.g. latroni, interitum vitę sibi minanti ad certam pecuniæ summam solvendam se obstrinxit, obliget conscientiam, ita ut qui juramentum præstitit, facere teneatur etiam id, ad quod juramento se adstrinxit, nisi agere velit contra conscientiam. Plurimi ex definitione juramenti, trito illo canone: Minus malum è duobus malis esse eligendum, ex Scriptura quæ severè perjurium prohibeat, illud affirmant; E contra non pauci negant asserentes illa juramenta per vim extorta, esse contra honestatem publicam utilitatem &c. Ad argumenta vero pro affirmativâ sententiâ respondent distinguendo, inter juramenta legitima, legitimo modo & fine facta, & inter juramenta illegitima, de illis verum esse ea obligare conscientiam, de his non item. Nos equidem rem tam arduam moliri nolumus, acrius enim poscit judicium, cœteris tamen paribus juramenta illa per vim extorta conscientiam obligare dicimus. De Votis si quæratur: Num & illa conscientiam obligent? Breviter respondemus: Si fiant de re licitâ possibili, à persona quæ vovere potest, h. e. quæ sui juris, rationis, rationis & judicii particeps est, statuimus ea omnino obligare conscientiam, & suscepta absque conscientiæ labe intermitti non possunt. Colligitur E. Votum Jephtæ de mactandâ

filiâ

filiâ, cum fuerit illicitum & illegitimum, optimo jure rescindi potuisse.

Quæst. III. *An res amissa salvâ conscientiâ per divinationem magicam inquiri possit?* Resp. N. Etenim ejusmodi divinatio non Naturalis sed planè diabolica. Non enim sunt facienda mala, opere Diaboli uti licet, ut inde eveniant bona, restitutio scil. bonorum.

Quæst. IV. *Utrumquis salvâ conscientiâ alienam religionem simulare possit?* Resp. N. Quisquis enim me negaverit vel simulaverit coram hominibus, negabo eum & ego coram Patre meo qui est in cœlis, severissimum est Christi effatum Matt. X. 33. Fusius hæc diducere animus erat, sed quia pagellæ præter spem excreverunt hic fessam nostram sistimus carinam & disputationem hanc nostram verbis Hugonis l. 2. de Anim. c. 9. obsignamus. *Bona conscientia*, inquit ille, *titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum declinatorium, gaudium Angelorum, Arca fœderis, Thesaurus Regis, Aula Dei, Habitaculum Spiritus Sancti.* Qualem conscientiam quietam cu[redacted] Deus O.M. cœlitus largiatur, cui sit Laus & Gloria in sempiterna secula.



COROLLARIA.

I.

PEccatum Originis non est substantia, uti erravit Flacius, sed potius Accidens.

II.

Datur ens rationis non tamen habet causam efficientem propriè dictam, nisi absque rigore philosophare quis velit. An DEUS tale ens rationis facere possit, inter Scholasticos quæritur!

III.

Q. An Meritum Christi in V.T. fuerit Non Ens?

IV.

Resurrectionem mortuorum naturaliter impossibilem esse firmiter contra recentiores quosdam chimicos statuimus.

V.

Rationem status filiam optimam ex matre pessimâ malis scil. hominum moribus ortam esse, probabilis ratio suadere videtur, cum enim post lapsum ea in plerorunque pectoribus sedeat perversitas, ut privatim beati esse malint, quam publicè, atque hoc modo per quæcunq; media fieri tales desiderant, hinc Rerumpublicarum administratores cœperunt certa eaq; arcana pro defendendo suo commodo excogitare, atq; adeo constituere id, quod nobis Ratio status audit.

VI.

Nihil impedit, quo minus una propositio ex diversis causarum generibus possit tractari.

VII.

Orator qui in oratione non adhibet effectus, [illegible]ò meritò mutus Orator audit.

VIII.

Historia sine Geographia & Chronologia nulla est.

IX.

Distinctius vocalis Græca η legitur per æ quam per ι. sic rectius dicitur βῆτα quam vita. Quæ vero pronunciatio antiquior sit, disputari potest.

X.

Qui omnem numerationem decem absolvi posse digitis dicunt, non adeo absurdi sunt.

XI.

Ventus licet sit impetuosissimus, non potest tamen Geodætæ lineas per aërem ductas movere.

XII.

Luna semper est plena, nisi patiatur Ecclypsin.

XIII.

Tanta navis totius est gravitas, quam gravis est aqua, quam navis immersione sui excludit.

F I N I S.

